



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De peculio Clericorum. Consilium CCCLXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

mò ex eo, quòd (ut proponitur) pro parte dicti Decani, tempore per statuta Capituli ad hoc statuto, ista continuatio bis per intervallum temporis petita fuerit; & ad hanc duplicatam seu repetitam petitionem Capitulares deliberandi terminum sumplerint; & ad tertiam petitionem responderint, se quidem cupere Decanum in favore profectui, sed se rogare ut illam petat à Principe Auria-
co, aut ejus Consiliarijs; ex eo, quòd omnis ordinatio Capituli dictis Consiliarijs commissa
7 esset. * Quæ quidem responsio continet non obsecrum consensum in dictam continuationem; cum contineat absolutam contradictionem aut negationem: cum vel sola taciturnitas in eo, qui contradicere, & contradicendo actum impedire potest, pro consensu facillimè sit. *Qui tacet De reg. iur. lib. 6. Ut appellationem deferre, non illam rejicere censetur, qui appellationi desert, quatenus jus patitur, ubi. Francus in c. Sapè in 2. notabili De sent. & re iud. Lud. Rom. conf. 501. Ut declarationem nu. 4. & 15, qui dicit per se non stare quò minus consentiat, sed per alium consentire magis creditur; præsertim quando per alium non stat, aut stare non potest, quò minus consentiat; ut est in proposito. Neque enim per dictos Consiliarios stetit se constare, & non potuisse stare manifestum est. Cum enim dicti Consiliarij fuerint homines laici, & nulla sit, vel esse possit laicorù vel ordinatio, vel tractatio in rebus aut negotijs Ecclesiasticis; c. 2. De iudicijs, v. Cum laici De reb. Eccles. non alienant. c. Ecclesiam De constit. nulla potuit illorum fuisse ordinatio aut ordinandi potestas. Et ut rebus eo tempore ita in turbida administratione reipublice ferentibus, à dicto Principe, aut ejus Consiliarijs rerum Ecclesiasticarum ordinatio & tractatio usurpata fuerit; non licuit tamen dictis præsentibus Canonici fructus; qui dicto Domino Decano debebantur, sibi usurpare, & inter se dividere; & sic ex improbo facto dictorum Consiliariorum lucrum cum damno Decani percipere, d. l. Non fraudantur §. nemo, l. Alterius circumventio de reg. iur.*

Deinde cum tempore petite hujus continuationis dictus Decanus per captivitatem apud hæreticos, aut saltem rebelles detineretur; non debuit illi ea captivitas fraudi esse; cum illa excusetur, & sic absentem pro præsentem haberi faciat; præsertim in absentia per vincula & captivitatem; & potissimum reipublicæ seu Collegij causâ, l. 1. l. Succurritur Ex quibus causis maiores. Nam hæc captivitas Domino Decano contingit revertenti ex legatione, quam nomine & ad rogatum Capituli susceperat. Esset enim prorsus irrationabile, imò brutale ex tanto officio damnum, si non commodum referre, l. Sed si quis Quædammodum testam. aperiantur. Et cum hæc petitio continuationis in ijs, quæ in actu residentie sunt, & proximè præcedente anno, seu annis fuerint, non tam tendat ad impetrationem consensus in illam, quàm pro certitudine eorum, qui sequente anno pro residentibus reputari debeant; hujusmodi continuatio denegari non potuit: ex quò clerici beneficiati teneantur ad residentiam, & absentes ab ea per subtractionem fructuum, imò etiam privationem beneficii ad illam compelli possint, & ex tunc

De cler. non resid. * Ita ut sola petitio ad hanc declarationem sufficiat, etiam si non obtineatur; & sic sufficiat licentia petita, licet non obtenta: ut contingit in quibusdam alijs juris articulis. *Ubi & ibi Glos. in verb. licentiam De regul. & trans. ad relig. Cum aliqui dicti Capituli statutum de licentia petenda non loquatur de licentia continuationis, sed de admissione ad residentiam, ab eo faciendum, qui in proximo anno non residet; & ad petitionem licentie absentandi pro sequenti anno; ut non rectè trahatur ad petitionem continuationis, quæ nullo jure, vel statuto, vel consuetudine requiritur. Quinimo si dictus Decanus toto illo anno sic abfuisset, non deberet id illi fraudi esse: ad amittendum fructus illius anni. Pro residente enim est, qui sic invitatus abest, & residere sine sua culpa, vi præsertim maiore prohibitus, non potest; cum pro residente habendus sit per quem non stat quò minus resideat, Ioan. And. in c. 1. De cler. non resident. in novell. Bald. conf. 357. Insuper vol. 2. Paul. Paris. conf. 32. Licet regulariter vol. 4. Ut etiam pro residente habetur, qui ex mandato Capituli, & pro illius utilitate abest, c. De cetero c. Ad audientiam de cleric. non resid. Parisius d. conf. 32, ut fuit ista dicti Domini Decani absentia. Et sanè tantum abest, quòd dicti Domini Decani heredibus denegari possint illius anni fructus; ut etiam prædictum Capitulum cogi possit ad refundendum illis omnia illa damna, quæ dictus Decanus passus est per dictam captivitatem, quæ illi in sua legatione per Capitulum mandata contigit: Quod enim legatus, qui legationem non affectavit, in legatione patitur damnum, ab his, qui eum mittunt, nedum ex curiositate sed etiam ex juris necessitate resciri & rescari debet, elegantè Bald. in l. Inter causas §. non omnia D. Mandati, Paris. conf. 156. Vid. processum nu. 30. vol. 4. ne officium illi damnosum & fraudi sit, d. l. Sed si quis; & suo damno sustinere debeat, in quod non incidisset si hanc legationem non suscepisset, l. Si servus §. quod verò D. De furt. Ex his facile animadvertent dicti heredes, quâ spe possint cum dicto Capitulo iure contendere, tam quoad portionem emolumentorum decimarum in mense anni octuagesimi sexti, quàm fructuum anni octuagesimi; & damna per dictam captivitatem passa, si civiliter requisitum in sua reculatione & denegatione perseverabit.*

De peculio Clericorum.

S V M M A R I V M.

Fructus beneficii vacantis.

1. Qualitates plures qui suscipiunt diverso iure censentur.
2. Consuetudo loci intra locum suum conclusit nec ultra extenditur.
3. Mobilis an semper personam sequatur.
4. Domicilium clerici ubi sit.
5. Pensiones rerum locatarum quando pertineant ad heredem usufructuarius.
6. Pensiones censuum & reddituum quando & cui cedant.
7. Beneficij quæra suscipere debet qui fructus illius percipit.
8. Prelatus & eius heres ut & usufructuarius ad satisfactionem

sa testā tenetur.

9. Saria testā quatenus praestanda.

CONSILIUM CCCLXXIV.

EX his, quæ non ita pridem respondimus, *sup. consil. 371.* ad interrogata pro parte heredum Reverendissimi quondam Iohannis Six Episcopi Audomarenfis, satis percipi potest, quid respondendum sit ad succedaneas nunc de novo propositas quæstiones; ex præsupposita Comitatus Arthesiensis, in scriptum etiam redactā, consuetudine, *art. 151. sub tit. de consuet. generalib. Arthesienf.* quod Episcopis, & Prelatis, alijsque personis Ecclesiasticis secularibus ab intestato succedant, non Ecclesia, sed proximi parentes, seu cognati, nullā distinctione bonorum adhibita, unde illa ad defunctum Prælaturam sive ab Ecclesia, sive ex patrimonio, sive denique ex quacunque industria proveniunt: aliter quam iure communi dispositum esse tunc respondimus. Sed quoniam id nunc particulariter quæritur paucis desingemur.

Et primò quidem ad eam quæstionem, an ex eadem consuetudine dictos heredes sequi quoque debeant fructus Præposituræ Watinenfis in Flandria, extra limites jurisdictionis & superioritatis Comitatus Arthesiæ sitæ, quos respondimus præfatum Reverendissimum melle ante diem mortis ejus factā percipiendos suos fecisset, *præfens. in §. per d. De off. ordin. lib. 6. c. unico de elev. non resist. lib. 6.* Decimus effectum dictæ consuetudinis non extendi ad eos dictæ Præposituræ fructus: * ob id, quod proponatur, dictam Præposituram Episcopatu Audomarenfi non per speciem suppressionis & extinctionis unitam, sed per speciem nudæ, & simplicis accessionis dumtaxat adiectam esse, & per se illare, seorsumque per se considerari; eaque ex causâ Episcopum Audomarensem duplicem personam, non unam dumtaxat sustinere; & in utriusque personâ diversâ qualitate diversum & multiplex quoque jus constituendum esse; & in multiplicitate juris, seu concursu plurium jurium, cujusque per se habendam esse rationem: ut in respectivis, & hisque diversâ qualitate censentur, observari solet, *Bald. in l. Si pater §. qui duos de adopt. l. i. de præfens. locis legatib. in loco de Tamquam.* Unde in proposito quoad definitionem juris super perceptis fructibus ex Præpositura Watinenfi, cum in Flandria jus aliud consuetudinarium circa successiones Prælatorum; quod à iure communi recedat, non extet, juris communis observatio retinebitur, *l. de quibus De legib. & ut prius respondimus, dictæ Præposituræ, Monasterio, seu ejus futuro successor, relinquendi erunt sic percepti, & adhuc extantes fructus, Guido Papa decis. 110. Iason cons. 75. Non videtur dubiandum vol. 3.* * Ad quos dicta Arthesiensis consuetudo effectum suum extendere non poterit; quia cujusque loci, seu regionis consuetudo seu statutum suis finibus concluditur, nec excedit limites jurisdictionis ac superioritatis statutum, seu consuetudinem inducentium, *Barb. & alij in l. Cunctos populos c. de summa triu. & sive Carib. præfens. d. loco de tamquam vers. 18. Alexan. cons. 16. Viso titulo. vol. 1.*

3 Nec quicquam hac in re mutatur ex eo, quod

per eandem Arthesiensis consuetudines hoc quoque observetur & statutum sit, & plerique Iuri communi consentaneum esse existiment, *Bald. in l. Mercatores c. De commerc. & mercator.* quod in articulo successionis bona mobilia corpus seu personam, & ejus principale domicilium sequantur, principale autem dicti Reverendissimi Domini Episcopi domicilium fuerit Audomari apud ipsam Cathedralē Ecclesiam. † Est enim clerici cuiuscumque principale domicilium ipsa Ecclesia seu beneficium, cui adscriptus est, *c. fin. in fine de do. & contum.* Nam diversæ istæ stationes, quas dictus Reverendissimus Dominus ex diversitate duarum Prælaturarum sustinuit, diversi quoque Iuris rationem inveniunt, & bonorum separationem, non confusionem inducunt: sed ex loco singula per se inspicere & definiri debent; cum neutra veniant in accessionem alterutrius, & unumquodque territorium & suum territorij sui ius sequatur, *Alexand. d. cons. 16. nu. 2. Socinus cons. 36. Re. & ac mature vol. 1. Calderinus cons. 2. De pecul. cleric.* Ita ut in restrictione potestate dictæ consuetudinis, conclusa intra Comitatum Arthesiæ, hi fructus Præposituræ watinenfis non debeant facere cumulum in bonis mobilibus, quæ habentur respectu principalis domicilij; ut separatorum separata sit natura & conditio. De quo minus dubitandum est, ob id, quod perceptio illorum fructuum sit respectiva, & non tam ad personam ipsius Episcopi, quam ad dignitatem Præposituralem accommodata & restricta. Tantum interest & refert, quâ specie unionis hæc Præpositura sit annexa dicto Episcopatu; ut in præcedente nostro responso admonuimus.

Ad secundam quæstionem, an ad dictos Reverendissimi Episcopi sive testamentarios, sive ab intestato heredes pertinere debeant redditus, quorum dies in festo B. Martini post mortem ejusdem Reverendissimi Episcopi venit? facilis est responsio, quod cum illorum dies, ne quidem cesserit, multo minus venerit, *l. cedere diem De verb. signifi. durante vitâ dicti Reverendissimi Domini, ut ad illum in vitâ ita multo minus ad heredes post ipsius mortem pertinere aut referri non debeant.* Etsi enim redditus, seu potius pensiones, quæ debentur ratione bonorum locatorum propter perceptionem fructuum ex fundis in vitâ fructuarij factam, sequantur heredem usufructuarij, si collectis fructibus usufructuarius decesserit, etiam si dies solvendæ pensionis primò cesserit aut venerit post mortem usufructuarij, *l. defunctus De usufructu, Alex. cons. 15. Reverendissime vobis nu. 3. vol. 2. Aleiat. cons. 35. Con. iuvro nu. 6. Ioh. Bapt. Ferrer. cons. 118. Quæritur in effectu: redditus tamen, qui non debentur ratione fructuum perceptorum, ut sunt census, tributæ, & quæcumque annuæ præstationes, quæ debentur vel ratione recognitionis, seu juris dominicalis, vel legati, contractus, alio jure censentur, *l. 3. c. De fund. patrum. lib. 11. DD. in l. 1. c. De iure emphy. Car. Molin. ad consuet. Paris. §. 62. quæst. 8. nu. 54. & seq.**

† In his enim non habetur ratio fructuum, sed ipsius obligationis: ita ut etiam nullis vel exiguis fructibus perceptis canon, redditus, seu pensio debeatur; nec eo nomine regulariter remissio fieri debeat

sic ut cum ipsa pensio, canon, seu redditus non respicit compensationem fructuum, ad eorum perceptionem nullus haberi debeat respectus; siue illi iam sint percepti, siue nondum percepti. Vnde est, quod respectu usufructuarij, annui redditus obligatio velut conditionalis sit; hoc est, debeat usufructuario ac ejus heredi, si quâ die redditus præstandus est, usufructuarius vivat. *l. si in singulis de annu legat.* Cum igitur annui isti redditus, qui per modum census in festo Martini præstantur, non debeantur ex locatione & conductione fundorum; sed ex annuæ præstationis obligatione, nullo respectu ad fructus perceptos habito, qui utiliter non cesserunt defuncto Reverendissimo D. nullo jure deberi possunt ejus heredibus; sed dici debent cessasse successoribus in dictâ Præpositurâ, seu ipsi Præpositurâ.

Cum autem beneficio dictæ consuetudinis Arthesiensis dictæ Præposituræ fructus etiam percepti, tempore mortis adhuc extantes, non pertineant ad dictos heredes; & aliorum annuorum censuum seu reddituum dies utiliter non cesserit dicto Reverendissimo Domino, nec ejus heredibus, supervacua est questio, quæ subijcitur, Vnde durante hoc anno mortis præfati Reverendissimi Domini, Religiosi dictæ Præposituræ, aliæque dictæ Præposituræ onera sustineri debeant? Si enim ex his fructibus nihil ad heredes transfertur; æquum non est, ipsi pro alimentis Religiosorum vel alijs oneribus dicti Monasterij quicquam imponere: ut cessante causâ sustinendorum onerum propter fructus, onus ipsum quoque cesset. *c. cum cessante de appell. l. si quis §. de aliment. & ibi gloss. in v. liberto de lib. agnoscent.* Alioquin sanè si hi fructus quoquo modo petinere possent ad dictos heredes; in consequentiam illorum quoque tenerentur ad hujusmodi intrinsecâ & coherentia onera alendorum Monachorum & sustinendorum aliorum necessariorum. Æquum enim & rationi consentaneum est, ut qui in commodo substituitur, in opere quoque succedat. *c. adversus in fin. de immuni. Eccles. ut nostro præcedente responso satis id explicuimus, per c. præfati §. porro de off. ordin. lib. 6.*

8 Quod de fartis rectis præstandis proponitur facilem quoque habet resolutionem; & præcedente nostro responso satis decisum est. Cum enim omnis usufructuarius teneatur ad facta recta ædificiorum, in quibus usufructus constitutus est, præstanda, *l. eum ad quem C. de usufr. l. usufruct. §. fin. D. eod.* nulla est dubitatio, quin heredes usufructuarij præstare debeant, quod negligentia defuncti hac in parte peccatum seu omisum est. Neque enim æquum est, Prælatorum, aliorumque beneficiorum negligentiam Ecclesiæ nocere: sed debet omnia facere, quæ diligens paterfamilias in domo suâ facere tenetur, & si quid minus fecit, id per ejus heredem præstari debet, *l. cum usufructuarius cum l. seq. de usufr.*

9 Satis quoque eodem nostro præcedente responso resolutum est, quod ulterius iterum queritur, quatenus hæc facta recta præstanda essent, si illa ad heredes propter commodum fructuum pertinerent, quod scilicet hoc onus non deberet excedere modum emolumenti ipsorum fructuum: at ne quidem necessario sic præstandum esset, ut nihil

emolumenti ex fructibus ad heredes referri posset, respectu sustentationis ipsius Reverendissimi Domini pro termino vite sue, *l. o. de his de Ecclesi. adific. c. fin. & ibi vanorm. De his que sunt à major. parte Capituli:* præterquam si quid culpa aut factio dicti Reverendissimi Domini circa ipsa ædificia, quo minus facta recta, sed deteriorata sint, factum esse probabitur, *d. l. cum usufructuarius cum l. seq. id enim totum etiam de suo ultra commodum fructuum præstandum esset. l. videamus in fine D. notari.*

Difficilius est, quod ultimo loco proponitur, an heredes, propter reliqua præcedentium annorum, quæ per Reverendissimum Dominum Episcopum exacta non sunt, & per eius heredes exigi posse priore nostra consultatione respondimus; iidem heredes possint procedere ad fundorum, ex quibus hujusmodi reliqua debentur, evictionem, seu possessionis avocationem, ad finem & effectum percipiendi hujusmodi reliqua ex fructibus sequentium annorum, illisque retinendi tantisper, dum ex illis hæc reliqua confecta erunt; Dubium non est, quin eodem jure heredes id possint, quo poterat defunctus, tanquam in illius ius & locum surrogati, *l. qui in iur. de reg. iur. hypothecaria autem actio advocata à possessoribus possessione obligatorum fundorum, tantisper conquiscere debet Monasterium, dum his heredibus hæc reliqua ex fructibus perfoluta erunt; nec Monasterij concursus ad impediendum vel differendum heredes hac in parte admittendus erit pro decursu reddituum post mortem dicti Reverendissimi Domini. Etsi enim eandem & æqualem causam tam heredes, quam Monasterium præendant, & eo respectu, cessante prælatione ex privilegio causæ, alter altero potior esse non debeat; sed per concursum utrique ex æquo proportionabiliter succurri, *l. privilegia de privileg. cred. quia tamen heredes hac in parte tempore priores sunt in rebus hujusmodi redditibus, qui ex hypothecâ sustinentur, rationi consentaneum est, ut potiores quoque sint, l. 2. C. de privileg. fisci gloss. in d. l. privilegia. Et in proposito quidem ob id magis, quod heredes hac in parte non lucrativam sed onerosam causam prædant, pro recuperatione eorum, quæ dictus Reverendissimus Dominus in alimenta Religiosorum & sustinenda onera dicti Monasterij pro iisdem præteritis annis sustinuit; & sic idem Monasterium in effectu dictis heredibus velut actione negotiorum gestorum obligatum sit; saltem ad modum & quantitatem dictorum reliquorum: ut in præcedente responso satis dictum est. Ita quod Monasterium in effectu dictis heredibus pro evictione obligatum sit, ideoque si huic reali prosecutioni & evictioni se opponer, exceptione evictionis præstandæ repelli poterit. Quem enim aliquo modo de evictione tenet actio, illum agentem repellit evictionis præstandæ exceptio, *l. vindicantem D. de eviction. Sic ut in proposito non multum in considerationem venire debeat, quod durante hac evictione, Monasterium conquiscere debeat; & nihil ex fructibus obligatorum fundorum percipere: quia potior est damni, quam lucri; repetitionis, quam petitionis causa, l. non debet actori §. 1. de reg. iur.***

De petulio